

Wien

Tom. LXXXVIII

11. 14
STATVM NATVRALEM
HOBBSII

EX CORPORE IVRIS CIVILIS
PROFLIGATVM ET PROFLIGANDVM

PRAESIDE

FRANCISCO CAROLO
CONRADI

SERENISSIMI BRVNOVICENSIVM AC LVNAE-
BVRGENSIVM DVCIS A CONSILIIIS AVLICIS
ET IVRIS ANTECESSORE
ACADEMIAE IVLIAE NVNC PRORECTORE

AD D. XXIII. DECEMBRIS MDCCLIV.

IN IVLEO MAIORI

PVBlice AD DISPVTANDVM

PROPONET

IOANNES FRIDERICVS EISENHART
SPIRENSIS.

HELMSTADII
TYPIS IOANNIS DRIMBORN.

STATUM NATURALIUM

HOBBSII

EX COCTORE FYSIS CIVILIS

PROFESSORUM ET PUBLICANDVM

FRANCOFURTI

FRANCISCO CAROLO

CONRADI

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

IN VIENNA

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

IOHANNES FRIDERICVS EISENHART

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE

HELMSTADII

FRANCISCI HENRICHII DE LANGE





STATVS NATVRALIS HOBBSII
EX CORPORE IVRIS CIVILIS
PROFLIGATVS ET PROFLIGANDVS.

I.

DEFENSIO STATVS NATVRALIS HOBBSII
EX CORPORE IVRIS A GVNDLINGIO
TENTATA EX L. V. D. DE IVST.
ET IVRE.



Magna ingenii libertate et fiducia causam HOBBSII tuitus est olim GVNDLINGIVS, scripta dissertatione *de statu naturali Hobbesii in corpore iuris civilis defenso et defendendo*. Qua quidem opera hoc egit Vir doctissimus, vt statum hominum

num extra ciuitatem in libertate naturali viuentium esse talem, qualem Anglus ille dixit, nempe statum belli ac violentiae omnium aduersus omnes, etiam Iurisprudentum Romanorum assensu confirmaret. Praeiuerat VLR. HVBBERVS in *Eunomia Iuris* p. 13. vbi HERMOGENIANVM in l. 5. D. de iust. et iur. appellat *Hobbefianum*, neque alio confilio eum *bella* primo loco, *ante discretas gentes, regna condita, dominia distincta*, posuisse existimat, quam vt statum naturalem humani generis esse statum belli promiscuum, significaret. Mirifice haec laudat et commendat GVNDLINGIUS, et vt HERMOGENIANVM cum HOBBSIO ex assē conuenire ostendat, illum docere, inquit, „primo „illos formidolosos tumultus iure gentium esse in- „troducōs, illa latrocinia, eas rapinas, istas caedes; „deinde discretas gentes condidisse regna, vt, si „tollī non posset in totum status naturalis, tolle- „retur tamen ex parte; sub regnis distincta dominia, „quae in illa libertate vt distincta vix concipi possint, „agris terminos positos, vt defenderentur, et par- „tim arcifiniis, partim limitaneis in tuto ponerentur; „aedificia collocata, quum antea in cauernis bruto- „rum more delitescerent, ac in arborum truncis, „veluti

„veluti contempta animalcula, securitatem quaerent;
 „commercia instituta, emtiones ac venditiones,
 „locationes et conductiones, obligationes inductas,
 „quum alias nemo alteri fidem haberet, nemo e-
 „meret, sed raperet, nemo locaret, ne hostem
 „stabularet et anguem foueret in sinu, nemo se
 „obligatum crederet, quum esset potentior et alte-
 „rum viribus superaret et reliquos resistere sibi vix
 „posse speraret. Non poterat melior ad HOBBSII
 mentem paraphrasis verborum Iurisconsulti ador-
 nari. Sed videamus, an eam sententiam vere refe-
 rant illa, quaesitis nudata coloribus et oratoriis
 pigmentis.

II.

VERA HERMOGENIANI SENTENTIA IN L. V.
 D. DE IVST. ET IVRE EXPLICATVR.

Ait HERMOGENIANVS: *Ex hoc iure gentium
 introducta bella: discretæ gentes: regna condita:
 dominia distincta: agris termini positi: aedificia col-
 locata: commercium, emtiones, venditiones, locatio-
 nes, conductiones, obligationes institutæ; exceptis qui-
 busdam, quæ a iure civili introductæ sunt. Dum ex
 iure gentium introducta bella dicit, sane haud in-
 telligit*

telligit statum illum belli promiscuum, siue bellum omnium aduersus omnes, non formidolosos illos tumultus, latrocinia, caedes, rapinas, quibus nunquam homo ab homine, non hospes ab hospite tutus esset; sed *iusta bella*, ius belli, quo status legitime per vim certantium regitur, iure gentium introducta esse docet. Bella vero inter gentes necessario supponunt gentes iam discretas. Dominia rerum sub regnis demum distincta esse coepisse, tam quidem alienum est ab HERMOGENIANI mente, quam ab omnium Iurisconsultorum veterum sententia, docentium, quod quisque, dum nullius est, occupat, id naturali ratione, quae cum ipso humano genere prodita est, fieri occupantis, §. II. et 12. *l. de rer. diuis. l. 1. l. 3. D. de acquir. rer. domin. l. 1. §. 1. D. de acquir. vel amitt. poss.* Conuentionum denique valorem et vsum haud fuisse ante ciuitates conditas, et rationi et iurisprudentum Romanorum philosophiae omnino aduersum est, et vel sola PAVLI doctrina in *l. 1. D. de contrab. emt.* refellitur. Quod vero prius bellorum, gentium discretarum, regnorum conditorum mentionem fecit, quam dominia distincta, agros terminatos, aedificia posita, commercium et obligationes introductas esse dixit, id non aliam

aliam ob causam factum, quam quia recte atque ordine se facturum putavit HERMOGENIANVS, si prius quae ad statum hominum publicum, deinde quae ad priuatum spectant, commemoraret.

III.

VL. HVBERI DIVERSISSIMA AB HOBBSIO
DOCTRINA DE STATV HOMINVM
NATVRALI.

Mirandum itaque est, HVBERVM in dictis HERMOGENIANI obseruare sibi visum esse aliquid Hobbesianae philosophiae, et primariam huius positionem, *quod status naturalis sit bellum omnium contra omnes*, non recusasse, quamuis ipse a doctrina HOBBSII sit alienissimus, quam operose confutat *Digressio. iur. P. II. c. 8. et de iure ciuit. Lib. I. Sect. 1. c. 3. §. 8. sequ.* Quare eum reprehendit GVNDLINGIVS §. 33. quod principia patienter approbauerit ac tulerit, conclusiones prona consequenti inde fluentes repudiauerit. Enimuero, vt THOMASIVS iam animaduertit, alio plane sensu HVBERVS, statum naturalem esse bellum omnium contra omnes, admittit. Nimirum non singulorum contra omnes, idque natura hominis ita ferente,

rente, bellum affirmat, sed vt plerique hominum indole adeo corrupta contra naturae humanae conditionem sunt, vt se inuicem odio perfequantur et alterum subigendo quisque sibi potiora vindicare velit, nec modo quod in medio positum, sed etiam quod est alterius, impotenter concupiscant. Hoc intellectu, non multum inquit a vero abluere, qui homines in statu naturali prope eodem modo inter se viuere dicat, quo pisces describit OPPIANVS Lib. II. *ἀλιευτικῶν* versibus Graecis, quos ipse Latine expressit, dignis, quos huc repetamus:

*Quippe omnes inter sese pisces inimici
 Infestique natant: semperque potentior alter
 Deorat imbelles; hic semper fertur in illum
 Exitium intentans, vniue sit alter in escam.
 Mutua nam cunctos perdendi dira voluptas
 Exercet, nunquam vt videas se dedere somno
 Pisces; quin magis intentos oculis animisque
 Acriter inuigilare; inment, ne fortior instans
 Se voret; ast ipsi rapiunt comeduntque minores.*

Quamuis igitur et alteram positionem Hobbianam, ex prima de statu naturali, bello omnium contra omnes, oriundam haud recuset HUBERVS, hanc scilicet, *mutuum metum in causa fuisse, vt homines*

de

de ordinatis societatibus, qua se aduersus iniurias inuicem et ab aliis inferendas uerentur, cogitarent: subiectae tamen theses duae, quas addere sibi permitti ab Hobbesiano postulat, diuersam omnino eius sententiam declarant. Sunt enim theses illae: Natiuum societatis amorem, hominibus iuxta metum pariter fuisse causam ineundae ciuitatis: item: libidinem subigendi violandique alios in statu naturali minime fuisse iuris, verum facta eiusmodi in ipso illo statu naturae fuisse iniurias. Tantum abest, ut cum HOBBSIO affirmet HUBERVS, statum hominum extra ciuitatem secundum naturam hominis esse statum belli omnium aduersus omnes, et hostem esse quemque cuique, cui neque paret, neque imperat, ac proinde in statu illo belli naturali esse ius omnium in omnia: utque cum eodem neget, homines naturali societatis amore ciuitates condidisse, itemque in statu naturali ius cuiquam proprium ac inde venientem obligationem dari ante pacta.

IV.

STATVM ILLVM GENERIS HVMANI, QVEM
HOBBSIVS FINGIT, NVNQVAM FVISSE.
NEQVE EVM EX L. V. §. II. D. DE CAPTIV. ET
POSTLIM. REV. ET L. IV. D. DE COLLEG.
ET CORPOR. PROBARI POSSE.

B

Hoc

Hoc vero in philosophia Hobbiana praeclarum et excellens videtur **G**VNDLINGIO, quod illa homines describit, quales reuera sunt, nimirum qui et possint sibi inuicem nocere et velint: quum ab aliis vulgo describantur, quales esse deberent, et quales in statu naturali esse ab oratoribus, philosophis, Stoicis, Epicureis et poetis finguntur. Et fatendum est omnino, illam hominum, vt per deprauationem animati esse plerique solent, descriptionem prudentiae regulis egregie inferuire, vt ab improbis caueamus et ne temere aliis fidamus, vt omnes homines amicos credamus, qui tamen mox hostes fieri queant, vtque pacem cum omnibus ita habeamus, quasi quae mox possit in bellum erumpere. Sed iuris naturalis normam et rationem quomodo praestare posset status ille, qui et contra naturam hominis est, et in quo genus humanum vnquam vixisse non alio argumento fortius refellitur, quam ex eo, quod vltra primam illam aetatem fuerunt homines, quodque adhuc homines superant et aura vescuntur? Verissime enim **P**VFENDORFIVS *de iur. nat. et gen. Lib. II. c. 2. §. 4.* iudicauit, naturalem statum et bellum omnium in omnes, prout **H**OBBSIO illud deformatur, optime repraesentat.

sentari posse fabula illa de Cadmeis fratribus apud
OVIDIVM *Metam. Lib. III. v. 122. sequ. vbi*

*Exemploque pari furit omnis turba, suoque
Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.*

Itaque ingeniosissimus Anglus statum illum belli
promiscuum finxit more poëtarum, qualem HO-
RATIVS *Lib. I. Sat. 3. v. 99. sequ. commentus est:*

*Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia' pro-
pter*

*Vnguibus et pugnis, dein fustibus atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricauerat usus:
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque inuenere: dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.*

Finxit cum Oratore, qui pro P. Sextio c. 42. *Quis
vestrum ignorat, inquit, ita naturam rerum tulisse,
vt quodam tempore homines nondum neque naturali,
neque ciuili iure descripto, fusi per agros ac dispersi
vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac
viribus per caedem ac vulnera eripere aut retinere
potuissent? Atque inter hanc vitam, perpolitam hu-
manitate, et illam immanem, nihil tamen interest,*

quam IUS atque VIS. Oratoris TVLLII hanc ratiocinationem esse, non philosophi, manifestum est ex simili huic loco *Lib. I. de inuent. c. 2.* collatis illis, quae de natura hominis et societate hominum naturali in libris *de Legibus* et *de Officiis* disputat, cuius philosophiae summam exponit HVBERVVS *Digression. iur. P. II. c. 8. §. 1.* Attamen vt statui naturali Hobbiano tibicines ex corpore iuris ciuilibi apponat, GVNDLINGIVS *Hobbesianos* quoque facit POMPONIVM in *l. 5. §. 2. D. de captiu. et postlim. reuers.* et CAIVM cum SOLONE in *l. 4. D. de colleg. et corpor.* quoniam illi probant ius postliminii inter Romanos et populos externos, quibuscum neque amicitia, neque hospitium, neque foedus amicitiae causa factum illis esset, et pacta, quae rata habentur, τῶν ἐπὶ λείαν διχομένων, eorum, qui praedae causa exeunt. Verum HENR. DE COCCEII in *Dissert. de Postliminio in pace et Amnestia §. 29.* ostendit, loqui POMPONIVM de gente, cum qua bellum fuit et postea pax facta est simpliciter, nec addita pactione amicitiae vel hospitii siue amnestia: nihil vero magis a Romanis alienum fuisse illa immanitate et execrabili praedandi more. Sed et in *l. 4. D. de colleg. et corp.* intelligi sodalitiū tempore belli ad praedam ab hostibus

stibus agendam inritum, docuit CORN. VAN BYNKERSHOEK *Obs. iur. Lib. I. c. 16.* Alia ratione ad ista loca respondet PVFENDORFIVS *l. c. §. 10.* nimirum quamuis dictatum sanæ rationis apud multas olim gentes per prauos mores fuerit oblitteratum, neutiquam tamen ex eo colligendum, nemini inter easdem gentes paulo humaniori fuisse perspectum, per ista atrocina violari iura naturæ; aut pro statu naturali habendum, in quem homines feroces se coniecerunt; neque admittendum, quod HOBBSIVS asserit, rebus sic stantibus *λησικῆν* non fuisse contra legem naturæ. Quod igitur Romani aduersus gentes barbaris illis moribus vsas iure talionis egerunt, id iuri naturali haud aduersum, nec ad statum belli promiscuum inter gentes referendum dici potest.

V.

VERA STATUS NATVRALIS ET IVRIS BELLII
IN ILLO STATV RATIO EXPOSITA IN
L. III. D. DE IVST. ET IVRE.

Enimvero stupidum et bardum esse, neque homines nouisse oportet eum, qui homines ignoret sibi inuicem nocere et posse et deprauatis affectibus impelli in deteriora omnia, quibus pax et quies vehemen-

hementissime turbetur: vnde, *quod vinculum amoris esse debebat, seditionis atque odii causa est*, IDEM VELLE, vt pulchre SENECA *de ira c. 34.* Quare fatendum omnino est cum PVFENDORFIO *l. c. §. 12.* pacem illam naturalem inter homines esse factis debilem et infidam, quaeque adeo sola salutem hominum citra alia praesidia maligne admodum custodiat; sic vt applicari huc possit illud OVIDII *Trist. Lib. V. El. 2. v. 71.*

Pax tamen interdum est, pacis fiducia nunquam.

Neque tamen status belli promiscui et omnium aduersus omnes, admitta illa veritate, consequitur. Nam illos quidem, qui non laceffiti vim nobis inferunt, vi repellere et nostra eripientes iterum belli iure depraedari fas est, nequaquam vero tertium aliquem, qui nulla nos iniuria praeuerterat. *Neque enim, si alii impudenter legem naturae violant, nobis statim eorum improbitatem imitari licet, vt PVFENDORFIVS l. c. §. 10. docet.* Pessima itaque HOBBI *de Ciue c. 5. §. 2.* philosophia est, *in statu naturali, tanquam belli omnium in omnes, inter arma silere leges naturales.* Non eam excusat restrictio, quam addit: *si non ad animum, sed ad actiones referatur,* et quam clarius proposuit *c. 3. §. 27.* nimirum, haud esse

esse existimandum, natura, hoc est, ratione obligari homines ad exercitium legum naturalium omnium, in eo statu hominum, in quo non exercentur ab aliis. Interea tamen nos obligari ad animum eas obseruandi, quandocunque ad finem, ad quem ordinantur, earum obseruatio conducere, videbitur. Quis enim non animaduertit, principium illud Hobbianum, *quaerendam esse pacem externam, si haberi possit, sin id minus fieri possit, belli circumspicienda esse auxilia*, hominibus violentis et belli cupidis semper occasionem eludendi leges naturales et praetextum caussae nocendi praebere. Exulat simulata et noxia haec philosophia e corpore iuris nostri. Audiamus veram status naturalis rationem et iuris belli in eo statu normam diligentissime expositam a FLORENTINO in l. 3. D. de iust. et iur. his verbis: *Vt vim atque iniuriam propulsemus. Nam iure hoc euenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur: et quum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse.* Subiicitur hic locus post praecepta iuris gentium siue iuris naturalis folis hominibus inter se communis a POMPONIO tradita in l. 2. eod. tit. ac praemissus est exemplis iuris gen-

gentium hypothetici, quae ex VLPIANO et HERMOGENIANO in l. 4. et 5. proferuntur. Iam olim quaesitum fuit, qua ratione FLORENTINVS ad ius gentium, hoc est, ius humano generi proprium retulerit defensionem sui et vim vi repellendi licentiam, quam iuri naturali, id est, omnium animalium communi propriam existere, eamque permittere imo iubere τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, adeoque homini cum belluis communem esse, constat. Motam idcirco difficultatem a GIPHANIO et GOVEANO aliisque, sed a nemine amotam, feliciter sustulit ὁ πάνυ BYNKERSHOEKIVS *Obseru. iur. Lib. V. c. 2.* Nimirum quum iure naturae, homini cum brutis communi, liceat propulsare quodcunque inimicum est, nullo discrimine aequi vel iniqui adhibito; ius gentium siue ius naturae humanae proprium duntaxat permittit se suaque tueri aduersus ea, quae inique vi et iniuria inferuntur. Illud naturae, hoc rationis est. Hactenus *iure*, vt ait FLORENTINVS, id est iure gentium, *euenit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur*, ob tutelam aduersus vim iniustam, quam dixerat *vim atque iniuriam*. Et, pergit, *quum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini*
infi-

insidiari nefas esse. Atque illa hominum ab vna stirpe satorum cognatio, κοινή συγγένεια, vt vocat PHILO *Lib. V. de vita Moysis, consanguinitatis ius, quo sociamur,* vt ait LACTANTIUS *Epit. Inst. c. 5.* illa humanae naturae communio efficere debet, vt omnium hominum conditionem credamus esse parem, nec alteri faciamus, quod nobis factum nolimus: id vero solam esse iniuriam ratio docet: igitur eam prohibet ius gentium, quod rationem sequitur duces. Ex eo *nefas est alteri insidiari.* Potest haec FLORENTINI doctrina sufficere ad profligandum bellum omnium contra omnes a statu naturali.

VI.

HOBBSII DOCTRINA VETERVM IURISCONSULTORVM PHILOSOPHIAE PLANE CONTRARIA.
HORVM SENTENTIA, HOMINEM ESSE ΖΩΟΝ
ΠΟΛΙΤΙΚΟΝ, IN L. II. D. DE LEGIB.
EXPLICATA ET DEFENSA.

Sed aduersis omnino frontibus pugnant Hobbiana commenta cum philosophia veterum iurisperitorum, ex quorum libris illud Iustitiae templum aedificatum est: tantum abest, vt ab eis defensionem status naturalis, qualem HOBBSIUS finxit,

C

pete-

petere liceat. Illi, cum *philosopho summae Stoicae sapientiae CHRYSIPPO*, hominem φύσει πολιτικὸν ζῶον, *natura civile animans*, et cum M. ANTONINO Augusto *Lib. VI. §. 44.* φύσιν λογικὴν καὶ πολιτικὴν, *naturam rationis compotem et civili societati accommodatam* in homine agnoscunt. Ita MARCIANVS in *l. 2. D. de Legib.* suam faciens definitionem *Legis*, qua, vt ait, *Philosophus summae Stoicae sapientiae Chrysippus sic incipit in libro, quem fecit περὶ νόμου.* Ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θεῶν τε, καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προσάτην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἀρχοντα καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τῆτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων καὶ ΤΩΝ ΦΥΣΕΙ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΖΩΩΝ, προσαιτικὸν μὲν ὧν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέων. id est, *de Lege: Lex est omnium diuinarum et humanarum rerum regina. Oportet autem eam esse praesidem et bonis et malis, et principem et ducem esse: et secundum hoc, regulam esse iustorum, et iniustorum, et EORVM, QVAE NATVRA CIVILIA SVNT, ANIMANTIVM, praeceptricem quidem faciendorum, prohibetricem autem non faciendorum.* Maluit GVDLINGIVS hunc locum tacitus praeterire, imo nec sectam, quam Iurisconsultos veteres profiteri optime nouerat, attingere, dum Peri-

Peripateticos false ridet, quod cum magistro ARISTOTELE hominem φύσει ζῶον πολιτικόν dixerint. Sicut vero nec ARISTOTELEM semper hac locutione presse vti, pro tali animali, quod ad societatem civilem feratur, sed interdum pro animali sociabili eam adhibere, iam PVFENDORFIVS de iur. nat. et gent. Lib. VII. c. I. §. 3. obseruauit: ita Stoici sapientes, hominem ζῶον πολιτικόν esse docentes, in primis respexerunt ad magnam illam et communem omnium hominum ciuitatem ac societatem naturalem, quae et ante ciuitates conditas fuit, et constitutis ciuitatibus mansit, mansuraque est, dum homines erunt. Auctorem habemus CICERONEM de Finib. Lib. V. c. 23. *Quum sic hominis natura generata sit, ut habeat quiddam INNATVM QVASI CIVILE ATQUE POPVLARE, quod Graeci πολιτικόν vocant: quidquid aget quaeque virtus, id a COMMVNITATE et caritate atque SOCIETATE HVMANA non abhorrebit.* Sed plenissime id, quod diximus, perhibebunt Philosophiffimi Principis verba, quorum partem iam adscripsimus. Ea vero integra sic habent: Ἐμοὶ δὲ ἐστὶ σκέψις περὶ τῆ συμφέροντος· συμφέρεται δὲ ἐκάστω, τὸ κατὰ τὴν ἑαυτῷ κατασκευὴν καὶ φύσιν· ἢ δὲ ἐμὴ φύσις λογικὴ καὶ πολιτικὴ, πόλις καὶ πατρίς, ὡς μὲν Ἀντωνίου

νῆφο μοι ἡ Ρώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπων, ὁ κόσμος. τὰ ταῖς πόλε-
 σιν ἐν ταύταις ἀφέλιμα, μόναι ἐστὶ μοι ἀγαθοί. I. e. *Mihi*
autem deliberatio competit de eo, quod conducat mihi.
Conducit vero unicuique, quod est constitutioni et na-
turae ipsius consentaneum. NATVRA vero mea
RATIONALIS ET CIVILIS EST: ciuitas et patria,
qua Antoninus, Roma; QVA HOMO, MVNDVS.
Hisce ciuitatibus quae vtilia, et mihi sunt bona. Hoc
igitur cum Stoicis docuerunt Iurisconsulti, homi-
nem natura ferri ad societatem et natura aptum
esse ad eam colendam. Vtrumque praeclare de-
monstrat CICERO de Offic. Lib. I. c. 4. vbi post-
quam hominis naturam in quibusdam cum belua-
rum natura conuenire, in aliis differre atque hoc
maxime excellere ostendit, quod homo rationis parti-
ceps, per quam consequentia cernit, principia et cauf-
fas rerum videt: Eademque natura, inquit, vi rationis
hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae so-
cietatem: impellitque, vt hominum coetus et celebrari in-
ter se et sibi obedire velit, ob easque causas studeat pa-
rare ea, quae suppeditent ad cultum et ad victum, nec
sibi soli, sed coniungi, liberis, ceterisque, quos caros ha-
beat, tuerique debeat. Quae cura exsuscitat etiam animos,
et maiores ad rem gerendam facit. In primisque ho-
minis

minis est propria veri inquisitio atque inuestigatio. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura velit, nisi praecipienti et docenti, aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo animi magnitudo existit, humanarumque rerum contentio. Nec vero illa parua vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat in factis dictisque, qui modus. Hanc humanae naturae dignitatem, a benignissimo eius auctore constitutam, vindicare utique oportet Iurisconsultum, omnemque iuris naturalis normam ab ea repetere, non vero homines vel ex sola natura cum reliquis animantibus communi, vel ex deprauato habitu aestimare, et pro hominibus substituere beluas, hoc est, HOMINES HOBBIANOS.

VII.

HOBBSII DE IVRE PARENTVM IN LIBEROS
PHILOSOPHIA EX IVRE CIVILI PROFLIGATA.

L. I. §. I. D. DE INSPIC. VENTRE ET L. XXIV.

D. DE STATV HOM. EXPLICATAE.

Coronidis loco specimen iuris naturalis, ex Hobbi-
ana de statu naturali philosophia deriuati, in quae-
stione

stione de iure parentum in liberos, paucis contemplabimur. Nota est HOBBSII in *Lib. de Ciue c. 9. et Leviathan. c. 20.* doctrina de originali matris in liberos dominio: cuius fundamentum partim in iure victoriae, quia mater infantem modo natum statim in potestate habuit, vt eum vel educare vel exponere suo arbitrio potuerit, partim in eo collocauit, quod sciri non possit pater, nisi indicio matris. Vtrumque supponit *homines*, quos diximus, *Hobbianos*, scilicet in statu belli omnium aduersus omnes, qui matrem etiam imbellis et innocentis infantis victricem ac dominam faciat, et in licentia vagi concubitus viuentes, verbo, beluarum ritu vitam agentes. Quanto rectius naturae hominis rationali conuenit philosophia GROTII *de iur. bell. et pac. Lib. II. c. 5. §. 1.* quae utrique parenti in statu naturali aequale ius in liberos tribuit, ex generatione repetendo *vim legemque naturae, quae in ditione parentum esse liberos iussit, nec uti inter pecudes, sic inter homines potestatem et imperium potentioribus dedit*, vt pulcherrime PLINIVS *panegy. c. 38.* Sicut vero a natura hominis et recta ratione, ita quoque a philosophia veterum Iurisconsultorum alienissima est illa philosophi Malmesburiensis doctrina: neque eam iuuat VLPIANVS, qui

qui in *l. i. §. i. D. de inspic. ventre, partum, antequam edatur, mulieris portionem esse, vel viscerum*, ait secundum opinionem Stoicorum, vt EM. MERILLIVS *Obferuat. Lib. I. c. 16.* ostendit. His enim verbis ne quidem in foetum adhuc intra viscera matris latentem, nedum in editum matri prae patre ius tribuit. Hoc tantum docet, Senatusconsulta *de liberis agnoscendis* locum non habere, si mulier factio diortio diffimulet vel neget se praegnantem, statimque subiicit: *Post editum plane partum a muliere, iam potest maritus IVRE SVO filium per Interdictum desiderare aut exhiberi sibi aut ducere permitti.* Hinc poenae mulieris visceribus suis vim inferentis, quo partum abigeret, vt est in *l. 8. D. ad L. Corn. de sicar.* haec ratio exponitur in *l. 4. D. de extraord. crim. indignum videri, impune eam maritum liberis fraudasse.* Porro, quod HOBBSIVS dixit, apud hominem non minus, quam apud cetera animantia partum ventrem sequi, ad vindicandum matri dominium partus: id prorsus non sentit idem VLPIANVS in *l. 24. D. de stat. hom. vbi, Legem naturae hanc esse, scribit, vt, qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur.* Hoc enim significat VLPIANVS, partum extra matrimonium sequi statum et conditionem matris:

tris : idque *lege naturae* , hoc est, dum secundum ordinem naturae, scilicet *nascendo*, existunt aut serui aut liberi, prout matrem vel ancillam vel liberam habent, qui extra iustas nuptias nascuntur, extra quas iure ciuili nec vir, nec vxor, nec pater intelligitur, §. 12. *I. de patr. potest.* Iam olim notarunt interpretes iuris, in natos extra matrimonium patri naturali negari potestatem ciuilem, non aequae naturalem, vt ex *l. 6. D. de in ius voc.* et *l. 3. pr. D. de lib. causi* luculentissime constat. Denique, vt doctissimus Aruernorum Episcopus *Lib. IV. epist. 21.* ait, *originis nostrae*, patris an matris in generatione potiores sint partes, *desiniendae, materia vel ratio sit penes physicos.* Matribus certe non praerogatiua debetur ob locum intra viscera et alimentum praebitum, sed ius cum patribus aequale : *quod*, vt idem ait, *pondera illarum, quodque istorum semina sumus.* Eademque ratio efficit, vt iure ciuili potestas quidem patri, sed pietas vtrique parentum aequa debeatur.



NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
EISENHARTO

S. D.

FRANCISCVS CAROLVS CONRADL.

Et olim in viuo suspexi, et nunc post mortem eius celebrare soleo in GYNDLINGIO acerrimam ingenii vim, atque excellentem variae eruditionis copiam. Ingratus forem, nisi ex scriptis eius et colloquiis, quibus, quoties Lipsia Halam excurrebam, aut ille Lipsiam inuisebat, summa cum voluptate fruebar, plurimum me profecisse sponte profiterer. Sed ut nunquam committendum statui, ut eximiorum virorum auctoritatem veritati praeferrerem: ita animum inducere non potui, ut doctrinas, quas ille sola ingenii fiducia, ac nimio nouandi studio, vel ipse primum protulit, vel ab aliis prolatas adseruit, reciperem aut tuerer, minime vero omnium eas, quas non innoxias esse intelligerem. Est omnino inter illas defensio Hobbefianae de statu hominum naturali philosophiae: quam, ut ei plus roboris, si fieri posset, compararet, ex corpore iuris civilis vindicandam suscepit ac veteres Iurisconsultos, quos ab illa haeresi longissime
D remotos

remotos fuisse nemo GVDNLINGIO melius nouerat,
Hobbesianos facere haud dubitauit. Operae itaque
pretium erat, fucum hunc, qui incautis imponere
potest, detegi et dedecus illud a iure ciuili abstergi.
Quod conatu laude dignissimo egisti, mi EISEN-
HARTE, vestigiis insistens Aui tui, IOANNIS
EISENHARTI, Iurisconsulti elegantis et cordati,
qui in suis Institutionibus Iuris naturalis monstruosam
illam Hobbesii de statu naturali doctrinam strenue
impugnauit. Ego vero consilium hoc tuum eo lubentius
probauit et adiui, quo maiorem utilitatem hoc dispu-
tationis genus habet: quum in nullo alio genere
magis honesta patefiant, ut CICERONIS uerbis (*)
utar, quid sit homini natura tributum, quantam
vim rerum optimarum mens humana contineat,
cuius muneris colendi efficiendique causa nati et
in lucem editi sumus, quae sit coniunctio hominum,
quae naturalis societas inter ipsos. Maacte hoc, quod
iterum edis, industriae et profectus tui specimine,
porro, quod facis, ad honoris et uirtutis praemia his
studiis proposita nauiter et feliciter contende. Da-
bam Helmstadii die XX. Decembris
MDCCXLIV.

(*) De Legib. Lib. I. c. 5.




+

94 A 7372

ULB Halle 3
001 681 94X





11. 14
STATVM NATVRALEM
HOBBSII

EX CORPORE IVRIS CIVILIS
PROFLIGATVM ET PROFLIGANDVM

PRAESIDE

FRANCISCO CAROLO
CONRADI

SERENISSIMI BRVNOVICENSIVM AC LVNAE-
BVRGENSIVM DVCIS A CONSILIIIS AVLICIS
ET IVRIS ANTECESSORE
ACADEMIAE IVLIAE NVNC PRORECTORE

AD D. XXIII. DECEMBRIS MDCCXLIV.

IN IVLEO MAIORI

PVBlice AD DISPVtANDVM

PROPONET

IOANNES FRIDERICVS EISENHART
SPIRENSIS.

HELMSTADII
TYPIS IOANNIS DRIMBORN.